



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 23. An possit quis absolvi à votis Religiosæ professionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

autem Papam ista omnia præcipere, fuscè demon-
strat Lugo dub. 5., quia remanet subiectio ad Papam;
Et n. 14. docet cum *Suar.*, si quis è Societate JESU
jam factus sit Cardinalis, posse non obstante voto
acceptare Episcopatum, imò & Papatum, quamvis
necdum sit Episcopus vel Cardinalis sed adhuc solum
professus Societatis; attamen à n. 15. ostendit non
posse hoc alicui præcipi per Collegium Cardinalium.

§. V. Si quis ab Ordine, ubi est tale votum non
acceptandi dignitatem, transeat ad Ordinem, ubi
non est, manet obligatus priore voto, uti declaravit
Urbanus VIII. apud Lugo supra n. 1. 166

Q. 23. An possit quis absolvi à votis Religiosa
professionis. R. Vota substantialia Religionis tolli
non possunt ab illo, qui sit Papâ inferior, uti habet
Trid. Ses. 25. c. 1. de Regul., quia cum per approba-
tionem & confirmationem Papæ vna habeant,
inferior non potest ejus dispositionem tollere. Nec à
Papa irritari possunt, quia potestas irritandi prove-
nire deberet à Statu, quem Professus inivit per vota,
sed nemo potest dare potestatem ad desitionem &
interitum sui, ergo: imò nequidem Papam posse
ea commutare aut dispensare, docent *S. Th. 2.2. q. 88.*
2. 11. Arrag. & alii, 1. quia Cap. *Cum ad Monasteri-*
um 6. de statu Monach. dicitur, *abdicatio proprie-*
tatis sicut & custodia castitatis adeo est annexa
Regula Monachali, ut contra eam nec summus Pon-
tifex possit licentiam indulgere: 2. Quia Professus
est per vota traditus Deo; item consecratus Religioni,
res autem semel tradita non potest revocari, & semel
consecrata, quamdiu manet, non potest consecratio-
nem amittere, ergo. Oppositum tenuit aliquando
S. Th., & constanter tenent *Dur. Val. Suar. Az.*
Less. aliique plurimi cum *Sanch.* de matr. l. 8. d. 8.
n. 7. & *Castrop. w. 16. d. 5. p. ult.*, quia licet hoc non
possit

possit ordinariè & ex privata causa, neque in sensu composito statûs Monachalis, quod videtur velle decretalis citata, attamen exigente causâ publicâ & gravissimâ potest permittere, ut Religiosus professus uxorem ducat, sicque à se dividat statum Monachalem, cum enim Deus exigente necessitate remittet jus acquisitum, & desinet consecratio per revocationem deputationis ad usum sacrum, & per conversionem ad usum profanum. Videri possunt *Suar. de Relig. T. 3. l. 9. c. 26. & Sanch. supra.*

- 168 Q. 24. *Quid notandum sit circa exemptionem quorundam Regularium. R.* De hac fusè agit *Sanchez* in *Conf. l. 6. c. 9. dub. 1. & seqq.*, apud quem videri possunt hæ assertiones deductæ & probatæ. 1. Regulares jure communi eximuntur à Diocesana lege, ad quam spectat convocari ad Synodum, ad sepulturas, ad solutionem alicujus rei in signum subjectionis, decimationum, hospitiorum &c.; jure tamen communi non eximuntur à lege jurisdictionis, ad quam pertinet examen pro Ordinatione vel cura, datio curæ, prædicatio Evangelii, punicio delictorum &c. 2. Pleræque Religiones nunc exemptæ sunt à jurisdictione Ordinariorum, & nequidem ratione uniformitatis obligantur præceptis Episcopalibus, exceptâ celebratione festorum & cessatione à Divinis tempore interdicti: potest etiam Episcopus agere contra exemptos in delictis publicis vel contractibus extra locum exemptum, vel circa rem non exemptam factis; in causis mercedum & miserabilium personarum; item si turbent ejus jurisdictionem: item potest componere controversias eorum circa præcedentiam, & adigere ad processiones, exceptis
- 169 Monachis reclusis & Societate J E S U. 3. Si timeatur fuga, potest exemptus in gravi delicto deprehensus capi ab Episcopo, sed intra 20. horas extradi debet
- Super-